

EPISTULA LEONINA XXXIII

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLA OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM TRICESIMAM TERTIAM !

ARGUMENTA

SENTENTIOLA ARISTOTELIS – MYTHI GRAECORUM (XIX): De morte Aiâcis – DE ESECIA PICTORE VASORUM INGENIOSISSIMO – PHAEDRUS QUAE NARRET DE OVIBUS - FABELLA GRIMMIANA: De agnulâ et pisciculo – VOCABULA DOMESTICA (II) – ECHUS VOCES EPISTULAE – PARABOLA OVIS REPERTAE – VOTA PASCHALIA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LINGUAM LATINAM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

«ecce gratum/ et optatum/ ver reducit gaudia:/ Purpuratum/ floret pratum, sol serenat omnia./ Iam iam cedant tristia!»

His verbis Carminum Buranorum laetissimis salutem vobis dico pacemque exopto vernalem et Paschalem. In Epistulâ Leoninâ tricesimâ tertîâ Vobis praefabo, ut soleo, valde varia, nam spero Vos varietate delectatum iri.


Tamen animadvertis his litteris inesse quoddam argumentum generale: argumentum ovinum. Complures enim symbolae spectant ad genus ovium, i.e. genus animalium genuinê paschalium. Iam praeparaveram symbolam, c.t. "PROBATOLOGIA sive historia ovium", sed dolenter cognovi eandem copiosorem esse, quam ut huic quoque Epistulae adiungeretur. Nam scio nonnullos vestrum lamentari, quod theca sua electronica Epistulis meis nimis prolixis molestâ superabundet. Ceterum timeo, ne plerique vestrum proximis diebus Paschalibus asso agnino aut leporino necnon ovis gallinaceis aut socolateis saburriti Epistulas Latinas legendi non iam compotes sint.

Dicas: Vae tibi! Quam profana enuntias summâ in sollemnitate. Da veniam, sodalis honorabilis, nam habemus etiam aliquid pium et religiosum in hac Epistulâ: Tolle lege parabolam illam ovis repertae pulcherrimam! (Vide p.32, ubi allati sunt textus Graecus et Latinus). Mirus sane opilio, qui nonaginta novem oves in eremo relinquit, ut unum quaerat. At vide imaginem eiusdem de ove repertâ iubilantis. Quam sincerê gaudet, quam felix est. Et “convocat amicos et vicinos dicens illis: ,Congratulamini mihi, quia invêni ovem meam, quae perierat’. ” En animi eius ingenuitatem. Qui studet gaudium suum communicare cum aliis. Cara Lectrix, care Lector, scias Leonem Latinum sperare Tibi hanc Epistulam gaudio fore. Ut Leo unâ Tecum de Latinitate gaudeat tam vehementer quam ille opilio de ove repertâ.

In Sollemnia Paschalia optima quaeque Tibi exopto. Pancratice vale et perge nobis favere. Medullitus Te saluto.

*Die 3. m.Apr. a.MMX
Senden ex oppido Bavariae Suebicae*

Nicolaus Groß
LEO LATINUS
<http://www.leolatinus.com/>




ΤΗΣ ΠΑΙΔΕΙΑΣ ΑΙ ΜΕΝ ΡΙΖΑΙ ΕΙΣΙΝ ΠΙΚΡΑΙ,
Ο ΔΕ ΚΑΡΠΟΣ ΓΛΥΚΥΣ.

ERUDITIONIS RADICES SUNT AMARAE,
FRUCTUS DULCIS.

ARISTOTELES
(384-322 a.Chr.n.)

MYTHI GRAECORUM (XIX) : De morte Aiâcis maioris.

Mythi Classicae Antiquitatis a Gustavo Schwab Theodiscê narrati,
a Nicolao Groß Latinê redditi.



Ajax filius Telamônis. Imago vasis ab Exêciâ picta.

Ita finiti sunt ludi funebres, qui facti erant in honorem divini Achillis. Omnium principum exercitûs Graeci nemo nisi Ulixes illorum ludorum non fuerat particeps, nam idem de Pélidae corpore mortuo pugnans vulnus acceperat dolorosum, quo quamvis denuo heroibus intermixtus adhuc tamen aegrotabat.

Denique Thëtis arma filii magnanimi immortalia coram Graecis exposuit praemia certaminis. Longê fulgebat herôis scutum, in quo caelata opera artificiosissima Vulcani ipsius manu propriâ confecta nitebant. Iuxta scutum humi iacebat cassis ponderosa, cuius in parte convexa erat imago Iovis irâ incensi in caeli convexis stantis et cum gigantibus pugnantis. Praeterea humi iacebat pulchra lorîca convexa, qua nigrâ et impermeabili circumclusum erat Pélidae pectus, insuper ocreae graves quidem, tamen percommodae, quas gesserat, quasi essent plumarum levitate; prope fulgebat Achillis gladius inexsuperabilis vagînâ argenteâ, balteo aureo, capulo eburneo instructus; iuxta eum iacebat hasta ponderosa, abieti caesae similis, adhuc rubens Hectoris sanguine.



Ajax Achilleum mortuum ferens

Post arma stabat Thētis, cuius caput erat velamine lugubri obtectum; quae maestissima Danaidīs dixit haec: »Victoriae praemia in sollemnia lugubria filii mei exposita omnia iam sunt parta. Nunc autem procedat optimus ille Graecorum, qui corpus servavit, ut ei tribuam arma filii mei magnifica, quae omnia sunt dona divina, quibus gavisi erant ipsi dei immortales.«

Tum subitā altercatione exortā duo herōes simul prosiluerunt, Ulixes, magnus filius Laertae, et ingens Ajax, filius Telamōnis. Vir postremus tamquam Hespērus radians armis arreptis Idomenēa et Nestōrem et Agamemnōnem testes citavit facinorum suorum. At Ulixes se convertit ad eosdem herōes; nam iidem erant totius exercitūs viri sagacissimi et probissimi. Nestor autem ceteris duobus herōibus seductis vultu contristato: »Magnum malum« inquit »imminet nobis omnibus eo, quod exercitōs herōes duo optimi aemulantur de armis viri caesi nostri decōrī! Utercumque inferior evaserit, is laesus et exacerbatus pugnare desinet, nos omnes eius inertiam doleamus. Itaque me sequimini senem expertum. In his castris habemus Troianos brevi demum ante captos; eos sinamus controversiam Aiācis et Ulixis dijudicare; qui, cum neque irā neque gratiā teneantur, neutri herōi favebunt!« Duo ceteri arbitri assensi nunc a munere suo abstinentes Troianos maximē ingenuos, quamvis essent captivi, arbitros sibi fecerunt. Primus coram eis prodiit Ajax. Ídem indignatissimus vocavit: »Qui daemon te, Ulixes, obcaecavit, ut mecum velis certare? Reverā tu a me ita superaris ut canis a leone; an iam oblītus es, quam libenter tu abstinuisses a Graecorum expeditione in Troiam faciendā? O utinam abstinuisses! Tu enim nobis persuasisti, ut Philoctētam filium Poeae Lēmno in insulā relinquemus miserrimum; tuā enim culpā Palamēdes mortuus est, quamquam te superaverat et robore et prudentiā! Nunc autem etiam oblivisceris omnia illa munera, quae ego

praestiti Graecis, oblivisceris me tibi vitam servasse, cum tu ab omnibus relictus in pugnae tumultu desolatus frustra quaereres, quo aufugeres. Illo tempore, quo de Achillis corpore mortuo pugnari incepsum est, nonne ego is fui, qui corpus cum armis auferrem? Tu ipse ne herōis armis quidem auferendis par fuisti, ne dicam de auferendo herōe ipso! Ergo cede mihi, qui praeterea non sōlum robustior sim quam tu, sed etiam stirpis magis ingenuae necnon herōis ipsius cognatus, de cuius armis hīc rixamur!«

Ita Ajax indignabatur. Ulixes autem subridens cavillatus est: »Quid facis tot verba inutilia, Ajax? Malevolē dicis me esse ignavum et debilem nec respicis solā prudentiā fieri, ut homines verē valeant. Haec enim est, quae doceat nautam per mare saeviens navigantem, quae domet bestias feras, panthēras et leones, quae tauros cogit, ut serviant hominibus. Itaque et in rebus adversis superandis et in consiliis habendis vir prudens plus valet quam temerarius, qui nullā re excellit nisi robore. Haec fuit etiam causa, qua Diomedes me elēgit comitem in castra Rhēsi iturus; nec Graeci assecuti essent nisi meā prudentiā, ut filius Pēlei, de cuius armis nos hīc rixamur, particeps fieret expeditionis in Troianos faciendae. Et si qui heros novus umquam necessarius fuerit Danaīdīs, crede mihi, Ajax, īdem non bracchio tuo vasto, neque acumine alias nostrorum talis vir nobis comparabitur, sed nemo erit nisi ego, cuius verba blanda ille sequētur. Praeterea dei mihi non sōlum prudentiam, sed etiam robur mihi dederunt, neque verum est me a te e manu hostium esse servatum, reverā ego hostibus urgentibus resistens occīdi impetum facientes: tu autem ibi pedibus constitisti tuae tantum saluti prospiciens!«


Ita diu Ulixes et Ajax pergebant inter se rixari: cum tandem Troianis, quibus arbitrium mandatum erat, magis valere viderentur causae ab Ulike allatae, eidem vīro unā voce armaturam Achillei magnificam addixerunt.

At hac sententiā acceptā Ajax intimo ex pectore contremuit; qui tantā rabie correptus est, ut sanguini eius in vēnīs effervescenti bilis admiseretur, cerebrum acri dolore percuteretur, artūs omnes contremiscerent. Diu heros oculis in sólo defixis constabat tamquam simulacrum. Tandem amici tristes eum lentē atque placidē ad naves duxerunt.

Interim nox e mari ascendebat. Ajax autem in tentorio suo sedebat, nullum cibum attingebat, non cogitabat de somno capiendo, sed totā armaturā indutā gladium apprehendit acerrimum, muginabatur, utrum Ulixem dilaceraret an potius naves combureret an gladio acerrimo invehernetur in Graecos omnes.

Procul dubio autem Ajax unum ex his tribus fecisset, nisi Minerva dea, cum de Ulixe amico sollicitans ab Aiâcis vasto corpore, animo contumaci aversa eundem herôem funesta molientem furore affecisset. Tum animo dolorosê irritato Ajax e tentorio se proripuit in oves Danaidârum, quos a deâ obcaecatus putavit esse Graecos pugnatores. Opiliones, qui furentem conspicerent, se abdiderunt, ut mortem evaderent, in fruticetum fluminis Xanthi. Ajax autem in oves invectus eas ex parte dextrâ sinistrâque dilaceravit atque trucidavit. Duos arietes magnos, in quos incidit, unum post alterum hastâ transfodit acerbo cachinno sublato clamans haec: »Hôc in pulvere iaceatis, ut sîtis avium rapacium praeda, canes; vos quidem, Atrîdae infames, nullum iam affirmabitis arbitrium! Tu autem«, perrexit loqui, »qui ibi in angulo lates et, cum malâ conscientiâ mordearis, caput fruticeto imposuisti; nunc arma Achillis mihi surrepta, quibus te ostentas, tibi non proderunt, nam quid prodest armatura herôis, si geritur a vîro ignavo?« His verbis dictis alium arietem magnum arreptum, secum in tentorium attractum, posti aditûs alligatum coepit flagro, quem e vestis sinu extraxit, omnibus viribus verberare. Hôc momento temporis Minerva a tergo ad Aiacem accessit, caput eius tetigit, furori imperavit, ut abscederet ab illo. Sic heros infelix se conspexit manu flagrum tenentem, ante se arietem alligatum, cuius dorsum erat dilaceratum; his aspectis intellexit sat multa. Instrumentum miserum e manu Aiâcis excidit, vires heroicae eum defecerunt, humum delapsus suspicatus est se irâ deorum esse affectum. Animus eius vexabatur doloribus ineffabilibus. E pulvere cum resurrexisset, animus eius erat aegrior, quam ut pedem porro retrove movere posset; diu Ajax stabat immotus, tamquam specula in saxis radicata; tandem altê gemens: »Vae mihi, quare me odêrunt dei immortales, quare in summam infamiam me coniecerunt Ulixis subdolosi gratiâ? Hîc ego, qui e nullâ umquam virorum pugnâ evasit in honestus, sto vir manibus sanguine agnorum innocentì pollitus, toti exercitui ridendus, hostibus illudendus!«

Dum Ajax sic gemit, in universis castris et apud naves quaerebatur a Tecmessâ Phrygiâ filiâ rîgiâ, quae bracchiis tenebat Eurysâcem filiolum illius. Tecmessâ Aiâcem, a quo suam patriam aggresso abducta tamquam uxor tenebatur, teneriter amabat. Quae in tentorio animadverterat Aiâcem animo esse funesto, sed causam quaerere non potuerat, quia ille nulli quaestioni responderat. Brevi postquam Ajax tentorium reliquit, Tecmessae animum subiit quaedam suspicio funesta et tandem apud caulas invenit loca proelii tristia, quae Ajax ibi sibi fecerat. Mulier desperata ad tentorium recurrit, ubi virum invênit pudore affectum et desperantem, qui modo fratrem Teucrum suumque puerum Eurysâcem advocabat, modo se mortem ingenuam cupere affirmabat.



Ajax arietem occidit, quem mente captus putat esse Ulixem.

Tecmessa lacrimans Aiâci appropinquavit, genua circumplexa eum obsecravit, ne se suae vitae sociam solam relinquaret captivam hostibus interpositam; necnon illum rogavit, ut meminisset patris senis et matris Salamineae, puerum obtinens illum commonuit, qua sorte parvulus futurus esset, si a duro curatore suppressus custode iuventutis orbatus sine patre adolesceret. Heros autem vehementer commotus filium apprehendit eumque amplexatus et osculatus sic allocutus est: »Mi fili, si patrem felicitate superaveris, aequaveris ceteris omnibus, verê non fies vir improbus. Teucer frater meus germanus certê bene te curabit, sed nunc armigeri mei te ferant ad parentes Telamônem et Eriboeam Salamîne habitantes, ubi illis sis gaudio senescentibus, dum illi quoque abeant ad inferos.« His dictis puerum ministris tradidit, eosdem iussit fratri germano etiam commendare Tecmessam suam amatam, ex eius complexu se eripuit, gladium destrinxit, quem olim dono accepit ab Hectore hoste suo, sôlo tentorii infixit. Deinde manibus versus caelum tentis oravit: »Beneficium modicum, pater Iuppiter, a te precor: Mitte mihi Teucrum fratrem meum germanum, cum primum cecidero, ne antea adversarius meus me investigatum canibus avibusque obiciat

devorandum. Vos autem, Furiae, invōco: ut me hōc loco videbitis vitam finire mei interemptorem, ita illos sinite cadere a sanguine proprio carissimo per insidias interfectos: veniatis, ne cui rei parcatis, per gyrum saturemini toto exercitu! Tu autem, Sol, qui lucens veheris per caelum altum, curru tuo patriam meam Salamīneam supervecturus, moderare habenis et patri meo senili miseraeque matri enuntia fortunam meam acerbam. Vale, radi sancte, vale, Salamis urbs patria; vale, sedes mea Atheniensis cum flaviis tuis fontibusque; vos quoque valete, loca Troiana, in quibus tam diu versatus sum!



Ajax Salamineus in gladium incubiturus. Imago, quam amphorae impinxit
Exēcias pictor ingeniosus.

Nunc tu vēni, o Mors, meque aspice misericorditer!« Talibus dictis Ajax in gladium incubuit, ut in pulverem prostratus iacēret quasi fulmine contritus.

Nuntio mortis accepto Danaidae gregatim accucurrērunt, humum procubuērunt, lamentantes capita pulvere conspersērunt. Teucer frater Aiācis germanus, quem pater Telamon iusserat non sine fratre ex urbe Troiā redire, iuxta fratrem ipse sibi mortem consciscere voluit idque fecisset, nisi Graeci ei gladium eripuissent. Tum īdem corpori incumbens vehementius flevit quam puer patris expers eo die flet, quo matre est

orbatus. At heroico animo collecto Teucer a corpore fratris mortuo proreptus se convertit ad Tecmessam, quae filio a ministris sibi redditio bracchiis imposito apud mortuum sedebat ad rigidam desperationem adducta. Idem vir pollicitus est se captivam protecturum esse seque more paterno puerum esse curaturum, quamvis fieri non posset, ut ipse iram patris Telamônis timens illos ambos comitaretur iter Salamîna facientes.

Deinde corpus fratris germani sibi cari sepeliendum curaturus erat, cum Menelaus Atrîdes ei intercedens: »Ne audeas«, inquit, »istum virum sepelire, quem experti simus peiores esse Troianis hostibus nostris. Iste cum interitum nobis parare studeret, non meritus est funus honestum.« Menelaus ita cum Teucro de corpore Aiâcis altercabatur, cum Agamemnon adveniens fratri assensus est et, cum tres viri fervidê rixarentur, Teucrum contumeliose dixit esse filium servi. Is autem frustra illis in memoriam revocabat herôem caesum Graecis multimodis benefecisse exercitumque servasse, cum Hector trans fossam desiliret in naves ipsas Danaidarum, quae iam flammis Troianorum circumvallarentur. »Quid mihi maledicitis nomen servi imponentes?« Teucer vocavit, »nonne pater meus est Telamon heros Graecorum praeclarus, mater mea filia Laomedontis rôgia! Num me ingenuam progeniem virorum maximê ingenuorum pudeat consanguinitatis meae? Scitote vos, si herôem caesum expellitis, etiam expulsuros esse uxorem illi caram necnon filium et me, illius fratrem. Num consideratis, qualem famam apud homines, apud deos qualem favorem isto facinore accepturi sitis?«

Ita rixabantur, cum Ulixes heros prudens, medios inter eos iens ad Agamemnōnem properê conversus interrogavit: »Licetne amico fidi vobis verum dicere neque tamen ideo pro peiore haberis?« »Velim loquaris«, Agamemnon inquit illum aspiciens stupefactus, »scilicet te habeam pro totius Argivorum exercitûs amico meo optimo!« »Ergo audi«, Ulixes inquit »proh di immortales hunc virum ne expellas sine misericordiâ et sine funere! Ne potestate tuâ inductus oderis iniustê! Considera, si talem herôem dedecorabis, eâ re non idem ipse dehonestabitur, sed negligentur ius voluntasque deorum.« Talibus verbis auditis Atrîdae primo diu tacuerunt stupefacti. Tandem Agamemnon vocavit: »Tu autem, Ulixes, tibi non temperas, quin istius viri gratiâ me vituperas? Nonne consideras illum, quem tu tanto honore afficere vis, esse adversarium tuum capitalem?« »Licet is adversarius fuerit«, Ulixes inquit, »eumque odissem, dum odisse decêret. At nunc, cum ceciderit nobisque lugendus est heros tam ingenuus amissus, neque possum neque debo eîdem adversari. Itaque ipse paratus sum illum sepelire fratremque illius in hôc officio sancto explendo adiuvare.«

Teucer autem, qui Ulixe adveniente contemptim secesserat, nunc ad herōem prodiit manu porrectā:

»Vir ingue«, vocavit, »tu, illīus viventis adversarius maximus, nunc mortui es unicus adiutor! Tamen non audeo tibi concedere, ut hoc corpus mortuum attingas, cuius animo, cum decessit non placatus, talia haud scio an sint ingrata. At in ceteris rebus omnibus sis, quaeso, adiutor mei; restant enim sat multa facienda animo tuo ingenuo!« His verbis dictis Teucer digito indicavit Tecmessam, quae adhuc sedebat tacita. Ulixes autem benevolē ad illam conversus: »Ne quis umquam, o mulier«, inquit, »te videat servam. Dum Teucer et ego vivēmus, unā cum filio tuo tam bene colaris et protegaris, quasi Ajax ipse vos adiuvet, ille, qui fuit Achaeorum praesidium.«

Atridas puduit contradicere sententiae Ulixis ingenuae. Ingens corpus viribus herōum unitis humo sublatum, ad naves gestum, ibidem a sanguine et pulvere purgatum, armaturā, qua circumdatus erat, exutum, tandem combustum est in rogo haud minus magnifico quam fuerat ille Achillis, cuius morte effectum erat Graecorum alterum damnum irreparabile.


**MYTHUM AIACIS
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS
NICOLAUS GROSS**
<http://www.leolatinus.com/>

DE EXECIA PICTORE VASORUM INGENIOSISSIMO

Symbola e Wikipediâ liberâ encyclopaediâ excerpta et Latinê redditâ



Signum Exêciae (ΕΧΣΕΚΙΑΣ ΕΠΟΙΕΣΕ – «EXECIAS FECIT»).

Exêcias (Graecê Ἐξηκίας) fuit Graecus figulus atque pictor vasorum, qui ab anno 550 usque ad annum 530 a.Chr.n. Athenis vasa finxit et impinxit.

Argumenta

- 1 vita, genus pingendi, opera.
- 2 index operum (tituli selecti)
- 3 litterae
- 4 iunctiones interretiales
- 5 notae

1 De vita, genere pingendi, operibus.

Exêcias habetur pro uno ex maximis artificibus atque innovatoribus generis vasa impingendi, quod dicitur *nigrifigurale^[1]. Aliter ac multi alii pictores vasorum Exêcias artem facere coepit figulus. Qui opera sua priora, duas amphoras, finxit pro pictoribus gregis E. In hōc autem grege artificum Exêcias eruditus est. Complures formae vasorum (amphorae collares, amphorae ventrales typi A, paterae oculatae, cratères calices) videntur ab eodem formas vasorum figlinorum Graeciae orientalis imitato aut innovatae aut reformatae esse. Exêciae opera figlina multum

valuerunt ad figulos posteriores. In summâ hodie novimus 15 vasa, quibus inest signum fingendi Exêciae. Sed hodie Exêcias etiam illustrior est propter vasorum picturas suas. Tria vasa ab Exêciâ facta signata etiam sunt eius signo pingendi^[2]. Viginti fere opera alia genere pingendi perquisito etiam attributa sunt Exêciae. Verisimile est Exêciam per spatum temporis per breve pinxisse, quia in eius vasibus et prioribus et posterioribus nomen eiusdem adulescentis indicatur, cuius pulchritudo praedicatur (*Ονητορίδης καλός*) et adulescentes (*ἔφηβοι*), qualis fuit Onêtordes, hōc modo non honorabantur nisi temporis spatio limitato. Picturae Esêciae computantur factae esse saeculi sexti a.Chr.n. parte quadrante tertiatâ. Etiam ad eius opera picta valuisse videntur priores artifices gregis E, quamvis magis valuisse putetur Nearchus^[3].

Exêcias pictor vim habuit decisivam ad *vasipicturam *nigrifiguralem augendam. Exêciana ornamentorum dispositione et electione et formatione genus pingendi *nigrifigurale usque ad finem aetatis suae excultum est. Ornamenta Exêciae spiralia ansîs vasorum subsita sunt eximiâ subtilitate^[4]. Ab Exêciâ et Amaside fabricatae sunt priores amphorae imaginariae, quae utrumque instructae sunt picturâ narrativâ. Quo erat ingenio artificioso, Exêcias adversus generis nigrifiguralis angustias id effecit, ut res sensûsque exprimeret ratione omnino novâ. Hoc ei contigit partim novis imaginibus, praecipue autem ratione exhibendi, qua figuris delineandis novam quadamtenus vitam propriam inspiraret. Exêcias primus est pictor vasorum, qui non effectum demum actionis demonstret, sed iam viam, qua actio efficitur. Itaque hic artifex figuris suis tantam assequitur profunditatem, quantam ante eum in arte Graecâ nemo assecutus est nisi poetae^[5].

Ita in quâdam amphorâ, quae hodie invenitur in urbe Bononiâ Vasconiae (*Boulogne-sur-Mer*), Esêcias Aiâcem herôem Belli Troiani sui ipsius peremptorem non – ut antea artifices fecerunt – talem exhibit, qualis est finito demum facinore, sed exhibit Aiâcem facinus praeparantem. Hōc modo Exêciae contingit, ut exprimat Aiâcis sensûs, praesertim eius animum ad facinus paratum^[6]. Ita Exêcias id assequitur, ut figuris attribuat dignitatem^[7]. Ubi pictores vasorum priores homines non exhibuerunt nisi tamquam pupas, ubi pictor Amasis iam id assecutus est, ut homines exhiberet tamquam homines, Exêcias id efficit, ut homines exhibeat tamquam divinos ideoque artem classicam anticipet^[8]. *Boardman* putat Exêciam esse primum cultûs civilis europaeo-occidentalis artificem^[9].



Pars Tabularum sepulchralium Berolinensium – pinaces sepulchrales ab Esēciā pictore vasorum picti, una ex 16 tabulis figlini genere nigrifigurali impictis, qua picta est πρόθεσις (expositio corporis mortui publica) et pompa funebris. Haec tabula inventa est in Ceramico Atheniensi, computatur intra spatium annorum 540 et 530 a.Chr.n. facta esse, altitudine est 43, latitudine 37 centimetrorum. Conditur in Collectione artificiorum antiquorum Berolinensi.

Esēcias in illustri paterâ suâ oculatâ Monacensi deum Dionysum exhibuit more potatoris in nave iacentem. Ut deus cognoscatur, figurae pictae attributum est symbolum dei vinarii, i.e. pampinus circum mālum nauticam crescens. Imagine Esēciae tertīâ, quae est perquam illustris, exhibentur Ajax et Achilles latrunculis ludentes. Haec scaena in litteris nobis traditis non invenitur, eadem inventa esse videtur a pictore ipso. Idem saepius incubbit in Bellum Troianum tractandum, praesertim herōem Aiācem. Alia res, quae primo pingitur ab Esēciā, est essedum, i.e. vehiculum bellicum, conversum.



Ecce Dionysus, qualis ab Esêciâ pictus est in paterâ Monacensi oculatâ.

Esêcias, qui pingere et fingere solet valdê subtiliter, videtur imitari sculptores aetatis suae^[10]. Cum omnia eius opera sunt qualitatis perbonae (*John Boardman* dicit Esêciam esse „perfectionistam“), difficile est invenire, quibus gradibus hic artifex genus suum pingendi excoluerit melioremque fecerit^[11]. Eo quod Exêcias pro quodam Atheniensi viro divite impinxit 15 minimum pinacas (i.e. tabulas) sepulchrales, quorum fragmenta hodie inveniuntur in Collectione artificiorum antiquorum Berolinensi, concludendum est eundem iam aetate suâ habitum esse pro artifice optimo. Etiam in hac parte artis figurativae Exêcias novos modos considerandi invenit. Conceptione universa tabulae Exêciae sepulchrales non cedunt aliis tabulis pictis eiusdem aetatis. Verisimile est pictorem vasorum figuli Andocidis, qui invénit *vasipicturam *rubrifiguralem, fuisse discipulum Exêciae.

Index operum (selectorum)

- Attica patera oculata (sic appellatur propter magnos oculos, quibus ornata est pars exterior). In pictura interiore exhibetur Dionysus trans mare navigans ([München, Staatl. Antikensammlungen](#) 2044)
- Amphora ventralis, in qua picti sunt Achilleus et Ajax latrunculis ludentes (Roma in urbe, Museorum Vaticanorum artificium 344)
- amphora collaris ([Antikensammlung Berlin F 1720](#))
- Tabulae Execiae sepulchrales ([Berlin, Antikensammlung](#))

Litterae

- [John D. Beazley](#): *Attic Black-Figure Vase-Painters*, Oxford 1956, S. 18 - 31.
- [John Boardman](#): *Schwarzfigurige Vasen aus Athen. Ein Handbuch*, Mainz 1977, [ISBN 3-8053-0233-9](#), S. 62-64.
- [Heide Mommsen](#): *Exekias*, in [Der Neue Pauly](#), Bd. 3 (1997), S. 340f.
- Heide Mommsen: *Exekias I: Die Grabtafeln*. Mainz 1997. ([Forschungen zur antiken Keramik](#) Reihe II: Kerameus. Band 11) [ISBN 3-8053-2033-7](#)

- [Matthias Steinhart](#): *Exekias*. In: [Künstlerlexikon der Antike](#). Bd. 1. München, Leipzig 2001, S. 249-252.
- [Werner Technau](#): *Exekias*, in: [Forschungen zur antiken Keramik. Reihe I: Bilder griechischer Vasen](#). Band 9, Leipzig 1936.

Iunctiones interretiales

 [Commons: Exekias](#) – imagines et/aut cinematata magnetoscopica et datothecae auditoriae

- [Literatur von und über Exekias](#) in: Katalog der [Deutschen Nationalbibliothek](#) ([Datensatz zu Exekias](#) • [PICA-Datensatz](#) • [Aupper-Personensuche](#))
- [Exekias im Internet](#)
- [Werk von Exekias](#) im Metropolitan Museum of Art

Notae

1. ↑ Heide Mommsen: *Exekias* in *Der Neue Pauly*, Bd. 4, Sp. 340
2. ↑ Halsamphore in [Berlin](#), Bauchamphoren im [Vatikan](#) und in [Tarent](#)
3. ↑ Heide Mommsen: *Exekias* in *Der Neue Pauly*, Bd. 4, Sp. 340
4. ↑ John Boardman: *Schwarzfigurige Vasen aus Athen*, S. 63
5. ↑ Heide Mommsen: *Exekias* in *Der Neue Pauly*, Bd. 4, Sp. 340
6. ↑ Heide Mommsen: *Exekias* in *Der Neue Pauly*, Bd. 4, Sp. 340
7. ↑ John Boardman: *Schwarzfigurige Vasen aus Athen*, S. 63
8. ↑ John Boardman: *Schwarzfigurige Vasen aus Athen*, S. 63
9. ↑ John Boardman: *Schwarzfigurige Vasen aus Athen*, S. 63
10. ↑ Heide Mommsen: *Exekias* in *Der Neue Pauly*, Bd. 4, Sp. 340
11. ↑ John Boardman: *Schwarzfigurige Vasen aus Athen*, S. 63

SYMBOLAM DE EXECIA PICTORE VASORUM SCRIPTAM IN LATINUM CONVERTIT



LEO LATINUS
NICOLAUS GROSS
<http://www.leolatinus.com/>

PHAEDRUS QUAE NARRET DE OVIBUS

1,1 LUPUS ET AGNUS

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant
 Siti compulsi ; superior stabat lupus
 Longèque inferior agnus. Tunc fauce improbâ
 Latro incitatus iurgii causam intulit.
 'Cur' inquit 'turbulentam fecisti mihi
 Aquam bibenti? Laniger contra timens:
 'Qui possum, quaeso, facere, quod quereris, lupe?
 A te decurrit ad meos haustûs liquor'.
 Repulsus ille veritatis viribus:
 'Ante hos sex menses male', ait, 'dixisti mihi'.
 Respondit agnus: 'Evidem natus non eram'.
 ,Pater hercle tuus', ille inquit, ,male dixit mihi'.
 Atque ita correptum lacerat iniustâ nece.

1,17 OVIS, CANIS ET LUPUS.

Solent mendaces luere poenas malefici.

Calumniator ab ove cum peteret canis,
 Quem commendasse panem se contenderet,
 Lupus citatus testis non unum modo
 Deberi dixit, verum affirmavit decem.
 Ovis damnata falso testimonio
 Quod non debebat solvit. Post paucos dies
 Bidens iacentem in foveâ conspexit lupum:
 'Haec' inquit 'merces fraudis a superis datur'.

3,3 AESOPUS ET RUSTICUS

Usu peritus hariolo vel doctior
 Vulgo esse fertur, causa sed non dicitur,
 Notesket quae nunc primum fabellâ meâ.

Habenti cuidam pecora pepererunt oves
 Agnos humano capite. Monstro territus

Ad consulendos currit maerens hariolos.
 Hic pertinere ad domini respondet caput
 Et avertendum victimâ periculum.
 Ille autem affirmat coniugem esse adulteram
 Et insitivos significari liberos
 Sed expiari posse maiore hostiâ.
 Quid multa? Variis dissident sententiis
 Hominisque curam curâ maiore aggravant.
 Aesopus ibi stans naris emunctae senex,
 Natura numquam verba cui potuit dare:
 'Si procurare vis ostentum, rustice,
 Uxores' inquit 'da tuis pastoribus'.

3,15 CANIS AD AGNUM

Inter capellas agno balanti canis:
 'Stulte', inquit 'erras; non est hic mater tua;'
 Ovesque segregatas ostendit procul.
 'Non illam quaero, quae, cum libitum est, concipit,
 Dein portat onus ignotum certis mensibus,
 Novissimê prolapsam effundit sarcinam;
 Verum illam, quae me nutrit admoto ubere
 Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.'
 'Tamen illa est potior, quae te peperit.' 'Non ita est.
 Unde illa scivit niger an albus nascerer?
 Age porro; parere si voluisset feminam,
 Quid profecisset, cum crearer masculus?
 Beneficum sanê magnum natali dedit,
 Ut exspectarem lanum in horas singulas!
 Cuius potestas nulla in gignendo fuit,
 Cur hac sit potior quae iacentis miserita est
 Dulcemque sponte praestat benevolentiam?
 Facit parentes bonitas, non necessitas.'

His demonstrare voluit auctor versibus
 Obsistere homines legibus, meritis capi.

**APPENDIX PEROTTINA
A 26**

Multos laccessere debiles et cedere fortibus

Odiosa cornix super ovem consederat;
 Quam dorso cum tulisset invita et diu:
 ‘Hoc’ inquit ‘si dentato fecisses cani,
 Poenas dedisses’. Illa contra pessima:
 ‘Despicio inermes, eadem cedo fortibus;
 Scio quem laccessam, cui dolosa blandiar;
 Ideo senectam mille in annos prorogo’.

**Hos apolo^{gos} Phaedrianos
excerpsit**

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

FABELLA GRIMMIANA: DE AGNELLO ET PISCICULO

Aliquando erant fraterculus atque sororcula, qui inter se medullitus amabant. Eorum mater vera cum iam diu esset mortua, erat noverca, quae malevola illis omne faciebat malum. Factum est, ut hi parvuli in prato ante domum luderent cum aliis. Ad pratum autem erat piscina, quae pertinebat usque ad domūs latus alterum. Parvuli autem ibi circumcursantes unusque alterum assetantes ludebant enumerationem:

Enece, benece,
serva meam animam,
nam accipies aviculam,
avicula quaerat stramentum,
stramentum dabo vaccis,
vaccae dabunt lac,
lac dabo pistori,
pistor faciat placentam,
placentam dabo cattae,
catta capiet mures,
mures fumigabo
necnon insecabo.“

Cum in orbem constitissent, ei, in quem incidebat verbum insecandi, erat aufugiendum; ceteri autem illum persecuti capiebant. Noverca autem parvulos laetē circumcursantes cum ex fenestrā aspectaret, stomachata est. Eadem artium magicarum perita per carmina illas convertit in aliam naturam, fraterculum in piscem, sororculam in agnulam. Tum pisciculus in piscinā huc illuc natabat, agnula in prato huc illuc ibat, tristis erat, nihil comedebat neque ullum graminum culmulum attingebat. Sic aliquanto temporis transacto convivae alieni venerunt ad castellum. Noverca autem fallax cogitans „nunc quidem occasio bona est’ coquum advocatione appellavit verbis his: „i et affer agnulam e prato eamque macta, nam nullum habemus alium cibum offerendum.’ Tum coquus foras exiit et agnulam attulit et secum in coquinam adduxit et pediculos eius colligavit; quae agnula omnia passa est patienter. Coquus autem cultrum destrictum in limine acuebat, ut agnulam iugularet, cum eadem subito vidit pisciculum in fusorio huc illuc natantem et ad se ipsam suspicentem. Idem enim pisciculus erat fraterculus, quae, cum vidisset coquum agnulam abducentem, per piscinam nataverat usque ad domum. Tum agnula deorsum clamavit:

'vae fratercule, qui natas in lacu profundo,
 quam dolet mihi cor!
 coquus cultrum acuit,
 cor meum transsecturus.'

Pisciculus respondit :
 'vae sororcula in alto versans,
 quam dolet mihi cor
 in isto lacu profundo!'

At coquus cum audiret agnulam loqui et pisciculum appellare verbis tam tristibus, territus cogitavit agnulam non esse naturalem, sed a malâ muliere in domo versante devotam. Tum dixit: 'Noli sollicitari, te non mactabo,' aliam bestiam sumptam convivis praeparavit, et agnulam apportavit ad bonam rusticam, cui omnia narravit, quae viderat et audiverat. Eadem autem rustica cum fuissest nutrix sororculae, statim suspicata est, quis esset, et cum agnulâ iit ad mulierem sapientem. Tum mulier sapiens agnulae atque pisciculo benedixit; quo factum est, ut ambo remutarentur in naturam humanam, et deinde ambos duxit in silvam magnam in domunculam, ubi habitabant contenti et felices.

**Hanc fabulam Grimmianam
 e theodisco sermone in Latinum
 convertit**

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

VOCABULA DOMESTICA (II)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinē redditā

CORBEIL, Jean-Claude/ ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscā et Anglicā et Francogallicā et Hispanicā et Italicā. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum alteram, quae spectant ad coquinam (VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM – IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA HORTULANA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas alteram partem coquinariam huius enchoridii singularis vocabulis Latinis ditificatam (**VOCABULA DOMESTICA II = VII. DOMESTICA II**).

Nicolaus Groß
LEO LATINUS
<http://www.leolatinus.com/>

THEODISCE	ANGLICE	FRANCOGALLICE	HISPANICE	ITALICE	LATINE
p.247 TEILE EINES HAUSES	ELEMENTS OF A HOUSE	ÉLÉMENTS DE LA MAISON	ELEMENTOS DE LA CASA	ELEMENTI DELLA CASA	PARTĒS DOMŪS
Haustür	exterior door	porte extérieure	puerta de entrada	porta esterna	iānua externa
Gesims	cornice	corniche	cornisa	cornice	corōna, -ae f.
Sturz	lintel	linteau	dintel	architrave	supercilium, -ī n. [VITR.4,6,2]
Sprosse	central stile	petit montant	montante central	montante centrale	scāpus +medius
Querriegel	lock rail	traverse intermédiaire	peinazo de la cerradura	rinforzo serratura per	impāgēs intermedia [VITR.4,6,5 cf. ed. Fensterbusch, Darmstadt 1976, p.193: "Querstücke". – cfr OLD, p.839, s.v. impages: „A cross-piece, batten (on a door etc.)“]
Mittelpaneele	middle panel	frise	entrepaño horizontal	pannello mezzo	phrygium, -ī n. [cfr DAUZAT p.344 s.v. frise: „1. frise, archit. (frize, 1544), empr. à une forme dial de l'it. fregio (proprement «ornement») ,du bas lat. phrygium , broderie (d'après les étoffes brochées d'or originaires de Phrygie. V. orfroi). «]
Türzapfen	hanging stile	montant ferrage	montante de la bisagra	montante della ferratura	scāpus cardinalis [VITR.4,6,4 scapi cardinales. cf.ed.Fensterbusch, Darmstadt 1976, p.193: "die senkrechteten Türangelstücke". – cfr OLD, p.1700, s.v. scapus, 2b: „The upright of a door-frame, stile.“]
Scharnier, Türangel, Türband, Türfitsche	hinge	gond	bisagra	cerniera	cardō, cardinis m.
Wetterschenkel	weatherboard	jet d'eau	vierteguas	goccilatoio	proiectūra pluviālis
Schwelle	threshold	seuil	umbral	soglia	līmen, -inis n.
Fußholz	bottom rail	traverse inférieure	cabio bajo	zoccolo	impāgēs īnferior
Türknopf	door handle	poignée de porte	manilla	maniglia	manubrium iānuae
Türschloss	lock	serrure	cerradura	serratura	clastrum iānuae
Schlossbrett	shutting stile	montant de la serrure	montante de la cerradura	montante della serratura	scāpus claustrī
Füllung	panel	panneau	entrepaño	pannello	tympanum, -ī n.

			vertical		[VITR.4,6,4;cf.ed.Fensterbusch, Darmstadt 1976, p.193: "tympana Türfüllungen". Cf OLD 1998, s.v. tympanum 3b: "the panel of a door".]
Kopfriegel	top rail	traverse supérieure	cabio alto	traversa	impāgēs superior
Gebälk	entablature	entablement	entablamento	trabeazione	contrabium, -ī n. [CASSIOD.var.12,18]
p.248 Schloss	lock	serrure	cerrajería	serratura	claustum, -ī n.
Gesamtansicht	general view	vue d'ensemble	vista general	visione insieme di	cōspectus generālis
Riegel	dead bolt	pêne dormant	pestillo	chiavistello senza scatto	pessulus iners [1.PLAUT.Aul.104; TER.Heaut.278; al.]
Schlüsselschild	escutcheon	écusson	chapa	piastrina	scūtulum claustrī [1.CIC.nat.1,82]
Stulp	faceplate	têteière	tapa	bocchetta	lāmnula faciālis
Falle	latch bolt	pêne demi-tour	pasador	chiavistello a scatto	pessulus agilis
Schloss	lock	serrure	cerradura	serratura	claustum, -ī n.
Rosette	rose	rosette	roseta	rosetta	*rosella, -ae f. [Va.80, 450,346]
Türgriff	door handle	bec-de-cane	manilla	maniglia	ānsa, -ae f. [PETR.96,1 ansa ostioli]
Einsteckschloss mit Dreh- und Verriegelungs-mechanik	tubular lock	serrure tubulaire	cerradura tubular seguro	serratura premi-apri con	claustum tubulātum [2.PLIN.ep.2,17,9; PLIN.nat.9,130]
Gewindehülse	threaded sleeve	écrou	tuerca	asta filettata	hastula *helicāta
Außenknaufl	outside knob	bouton extérieur	pomo exterior	pomolo esterno	manubrium externum
Spindel	spindle	axe	eje	asta	fūsus, -ī m.
Falle	latch bolt	pêne demi-tour	pasador	chiavistello a scatto	pessulus agilis
Stulp	faceplate	têteière	tapa	bocchetta	lāmnula faciālis
Falle	latch bolt	pêne demi-tour	pasador	chiavistello a scatto	pessulus agilis
Schloss	lock	serrure	cerradura	serratura	claustum, -ī n.
Rosette	rose	rosette	roseta	rosetta	*rosella, -ae f. [Va.80, 450,346]
Schraube	bolt	boulon	perno	vite	cochlea, -ae f.
Druckknopf	push-button	poussoir	seguro	pulsante	+bōtō pressōrius [1.1242,Lath.65,61; 2.COLUM.12,18,4]
Innenknaufl	inside knob	bouton intérieur	pomo interior	pomolo interno	manubrium internum

p.248 Zylinderschloss	mortise lock	serrure à mortaiser	cerradura embutida	serratura a pomolo	claustum cylindrātum [PLIN.nat.18,125]
Rotor	rotor	rotor	rotor	rotore	pars rotābilis
Schlüssel	key	clé	llave	chiave	clāvis,-is f.
Stator	stator	stator	estator	statore	pars statīva
Schließzylinder	cylinder	barrillet	cilindro	cilindro	cylindrus, -ī m.
Feder	spring	ressort	muelle	molla	elatēr, elatēris m. [1686,, Lath.65,162]
Splint	cotter pin	clavette	pasador	copiglia	fibula, -ae f.
Zylindergehäuse	cylinder case	logement du bariller	caja del cilindro	cassa del cilindro	capsa cylindrī
Schlüsselloch	keyway	entrée de clé	bocallave	toppa	forāmen claustrārium [LeB.67,582]
Rosette	ring	anneau	anillo	anello	* rosella, -ae f. [Va.80, 450,346]
Stulp	faceplate	têteière	tapa	bocchetta	lāmnula faciālis
Riegel	dead bolt	pêne dormant	pestillo	chiavistello senza scatto	pessulus iners
Schließblech	strike plate	gâche	cajetín	controbocchett a	lāmnula clausōria
Fenster	window	fenêtre	ventana	finestra	fenestra, -ae f.
Konstruktion	structure	structure	estructura	struttura	strūctūra, -ae f.
Blendrahmen oben	head of frame	tête de dormant	travesaño superior	parte superiore dell' intelaiatura	pars marginis superior
Holzleibung	casing	chambranle	marco	chiembrana	margō, -inis m./f.
Jalousie	jalousie	persienne	celosía veneciana	persiana	trānsenna, -ae f.
Flügel	casement	battant	batiente	telaio	valva fenestrae [GRIMM,t.3,s.v. Fensterflügel]
Flügelrahmen	hanging stile	montant de rive	larguero	montante	margō valvāria
Blendrahmen	sash frame	dormant	montante quicial	controtelaio	margō fixa
Hakenverriegelung	hook	crochet	pestillo	gancio	uncus, -ī m.
Scharnier	hinge	paumelle	bisagra	cerniera	cardō, cardinis m.
Fensterbrett	sill of frame	base de dormant	alféizar	base dell'intelaiatura	basis fenestrālis
Falz	stile groove of sash	montant embrevé	montante embarbillado	giunzione scanalata del telaio	scāpus sulcātus
Deckleiste	stile tongue of sash	montant mouton	montante central	giunzione a linguetta del telaio	scāpus medius
Wetterschenkel	weather board	jet d'eau	vierteguas	gocciolatoio	proiectūra pluviālis
Fensterladen	shutter	contrevent	contraventana	imposta	foricula, -ae f.

					[VARRO <i>rust.</i> 1,59,1]
Scheibe	pane	carreau	vidrio	vetro	vitrum, -ī n.
Sprosse	glazing bar	petit bois	parteluz	listello rompitratta	scāpus fenestrālis
Oberschenkel	top rail of sash	traverse supérieure d'ouvrant	travesaño superior de la vidriera	traverso superiore del telaio	impāgēs superior

**Haec vocabula domestica
excerpsit et in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

Proxima pars sequetur: VOCABULA DOMESTICA (III)

ECHUS VOCES ET EPISTULAE

Johann Wolfgang Strätz Professor Iurisconsultus

Joannes Wolfgang Leoni Latino s.p.d. gratias quam maximas agens de epistula VIIIa,
iam velociter percursa et ad lectionem meliori tempore deposita.

Vale, Leo magne.

Francisco Socas Professor philologus Hispanus Hispalensis

Care Nicolae et amici omnes qui in Leone Latino laboratis: Opera vestra maximo studio lego
et scrutor. Accipite meam sinceran gratulationem. Rogo etiam ut futuras epistulas mittatis ad
hanc novam directionem interretialem:... Nam haec antiqua directio iam iam in menses
proximos ab Universitate Hispalensi suprimetur. Valete omnes et pergitte mihi favere.

Franciscus Socas

Patricius

Nicolao Patricius Sal.

Semper magno afficiar gaudio cum has litteras a te pulchre conscriptas recipiam. Nuper
autem in situ tuo retis omnium gentium vendibiles animadverti disculos qui audiri possunt.
Hi multum meum studium excitant quoniam itinera muneric causa saepissime suscipere cogor
quibus libros auscultabiles mihi mos est audire quo melius tempus et taedium fallam.
Hucusque tamen libros linguis vernaculis confectos auscultabam, tales enim esse latinos
nescivi. Attamen sine exemplo brevi timeo emere quia haud desunt qui latine more infecto
pronuntient, quaque peregrinitate correptas voces diu audire nolim, certeque pretium ut
audiam recusem. Quidni ponas partes brevissimas in situ, sicut alibi etiam fit, quo plures
alicias emptores? In primis de disculo Apulei emendo ipse cogito.

Vale!

Raúl Lavalle poeta et magister Latinitatis Argentinus

Nicolaus Radulfo sal.pl.dic.

S.V.B.E.E.V.

Care Radulfe, quid fit, quid agitur? Post ferias tuas aestivas incohatas nihil accepi a te.
Fueruntne tibi dies Natalicij iucundi? Ecce strenam in annum ineuntem oblatam: Nuntius
Leoninus secundus! En inspice: gaudebis! Sed si deoneras periodicum Latinum, patienter
exspectes: Pro apparatu a te adhibito tibi exspectandum erit tres summum minutus horae
partes. Crede mihi, operae pretium erit exspectare: insunt imagines leonum pulcherrimae.
Utinam novum annum prosequaris faustis ominibus: sit tibi et Alexandrae uxori tuae
liberisque vestris valetudo prosperrima, prosperrime procedant opera vestra privata et
academica!

Medullitus te salutat

Nicolaus Groß.

Radulfus Nicolao s. Nicolae doctissime, pagina tua admirabilis est, non minus quam
doctrina atque operositas. Quid dicam? Mea sententia, natus es c. 1960. Estne rectum
quod dixi? Valde honoras me: utinam particula virium poeticarum quas Venusinus
habuit mihi foret. Perge Latinitatem fovendo. Radulfus.

Nicolaus Radulfo s. Natus sum a.1955, care Radulfe, o poeta ingenio Venusino praedite,
eodem anno, quo Albertus Einstein et Thomas Mann sunt mortui. Vale pancratice!
Medullitus te salutat N.

Radulfus Nicolao s.

Doctissime Vir, paginam tuam non adhuc bene legi, sed perlibenter visitavi. Precor mihi dicas: "Pancratice" valet 'atléticamente' hispanice; 'athletically' anglice. Estne recta mea interpretatio 'enthusiastically'? Laudo tuam vitam scientiamque, tu qui in Latinum aeternum sermonem convertis omnia, aliaque. Tuus Radulfus.

Nicolaus Radulfo s.

Domine maxime honorabilis, valde gaudeo, quod pagina mea domestica tibi placet. Pancratice (non: pancreatic, nam pancreas est quaedam glandula, organum corporis) valere est i.q. tam bene valere quam pancratiastes, i.e. athleta robustissimus luctandi et pugillandi peritissimus. Haec significatio fundamentalis verbis Anglicis reddi potest quae sunt "to be thoroughly healthy, as sound as a bell, as fit as a fiddle". Sed sensu latiore et cum grano salis scilicet etiam tuam versionem ("enthusiastically") bene quadrare. Nam si quis non est corpore validus, sed aeger et infirmus, vix potest habere enthusiasmum; et vice versa si quis rem pulcherrimam (qualis est Latinitas) tractat magno cum enthusiasmo, eum optime i.e. pancratice valere aut saltim in dies reconvalescere clare patet.

Tu quidem, Radulfe carissime, vale pancratice! Leo Latinus.

Radulfus Nicolao s.

Nicolae mi, gratias tibi ob orationem quam Dr. Köhler scripsit quamque tu latine reddidisti. Sed non intellego quid sit EPITONIUM et quid sit CURSU AMUCIANO. ORGANISATIONUM estne cum littera Z: ORGANIZATIONUM?

Felix Natalis et valeas semper, Radulfus.

Nicolaus Radulfo s.

Care Radulfe, gaudeo quod legisti versionem meam. Epitonium est i.q. in Argentinia "canilla"; quod verbum antiquum invenitur apud Varronem et Vitruvium et Senecam. "Cursus *amucianus", Hispanice "ataque de locura (amok)" (verbum est originis Indonesiana). Organisatio est forma verbi originaliter Graeci Latinizata; si vis originem Graecam littera efferre, scribe per "z". - Utinam gaudenter atque feliciter cum familia tua agas Natale Domini! - Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus Te salutat Nicolaus.

Radulfus Nicolao s.

Amice mi, mitte semper, precor, tuas doctissimas litteras (ignoro an eas bibliothecam magis nominem). Per te lingua Latina vivus sermo est. Salutat te Radulfus.
p.s. Pascha bonum tu tuique habeant.

Nicolaus Radulfo s.

Valde gaudeo quod Tibi placent Epistulae Leoninae. Etiam plus gaudeo, quod sententiolam Paracelsi bene quadrat ad iubilaeum patriae Tuae. Semper vale, mi care Radulfe. Nicolaus.

Leoni Magno Radulfus spd

Semper obruis nos tua doctrina clarissima sed praesertim unam ob causam hodie gratias tibi agere volo. Certe patria mea Argentina CC annos complet; ut arbitraris, multos labores ad hanc memorationem impendemus. Ergo perutile mihi erit lemma a Paracelso scriptum: "Non sit alterius qui suus esse potest."

Valeas semper

Radulfus

Dr.Armand d'Angour vir doctus Collegii Jesus Oxoniensis

Gratias ago! Sed haud possum dubitare quin Linneus ille, cum 'nomina si pereunt, perit et cognitio rerum' scriberet, se versum hexametrum composuisse putaret. Itaque ordo verborum fortasse servandus est, etiamsi alicui Latine recte dicenti verbum 'cognitio' brevem habet syllabam secundam; quod scilicet ex mente eius vel auribus ceciderit.

A.J. D'Angour

Nicolaus Armando s.

Care Armande,

ipse gratias ago pro litteris Tuis.

Verba alata, quae leviter (re nequaquam investigata) adscripseram Linneo, nunc invenio aliis quoque adscribi. Ceterum inveni etiam verba q.s. "Nomina si nescis, perit et cognitio rerum". (Linneus, *Philosophia botanica*). Num Linneus aut alius revera quantitatem illius syllabae falso mensuraverit, nescio neque in praesenti investigare possum. Evidem inveni ordinem illorum verborum prosaicum eundemque lectoribus attuli, quia Linneus potius fuit naturae investigator quam poeta. Si Tu, care Armande, testimonia inveneris ad hanc rem spectantia, rogo Te, ut me certiorem facias. Semper gratum mihi feceris, si mihi scripseris quidquid Tibi in buccam venerit.

Vale semper. Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß.

Massimo Scorsone poeta Italus Taurinensis

Nicolao Gross v. d. Germano, qui vero et Leo Latinus, Maximus Apollinaris Curtion, seu Scorsone vulgo, Italus Taurinensis SPD.

Gratias tibi, Latine Leo Nicolae, quam plurimas agens ob epistulam mihi quoque de more missam quae Leonina inscribi solet. O Litteras cunctis plenas festivitatis muneribus, eruditionisque, quas nuper lectitavi, neque sine delectatione quidem! Ceterum, a te sciscitari velim de libelli cuiusdam titulo, i. e. de "Afterphilologie" illa quam Erginus Rohdeus velut umbellam quamdam, sive alexibrochion libentius, adversus Wilamowitziana in Fridericum Nietzscheum sputa instruxerat: cur, dico, "Philologiam" interpretari placuerit "Inanem"? Nonne de "Philologia Postica" hic potius agitur? Cfr. enim verba tua inferius rescripta: «At *Ervinus Rohde*(us) amicus Nietzschei composuit scriptiunculam controversam, c.t. „Philologia inanis“ (*Afterphilologie*), cui etiam nihil inscripsit nisi verba quasi bellatoria [...]» Haec tantum, nec plura in auribus tuis insusurrare vellem. Gratus in antecessum pro responsione, si qua erit, te valere quam optime iubeo.

M. Apol. Curtion

Nicolaus Maximo Apollinari Curtioni s.

Care Maxime, gratias tibi ago, quod Epistula Leonina lecta mihi scribis. Echus enim vox grata mihi est. Titulum Rohdeanum, q.e. "Afterphilologie" Latine reddidi Philologiam in a n e m (non "posticam"), quia verbum theodiscum "After" in hoc substantivo composito non spectat ad situm posteriorem, sed valet aliquid peius, vile, non verum, falsum. Talis usus verbi est obsoletus (iuniores Germani vix eum noverunt).

Alia exempla huiusmodi sunt: "Afterbildung" i.e. eruditio dissimulata; "Afterbräutigam" i.e. sponsus falsus; "Afterbrunft" (sermo venatorum) i.e. libido ferarum intempesta; "Afterbrut" (sermo venatorum) i.e. proles volatilium ferarum insolita, secunda; "Afterglaube" i.e. fides religiosa mala, supersticio; "Afterkind", i.e. 1.infans postumus (post mortem patris natus), 2.nothus, spurius; "Afterkönig" i.e. rex illegitimus vel rex secundarius, vice-rex; "Afterkönigin", i.e. regina illegitima; "Afterliebe", i.e. mentita pietas; "Afterlogik" i.e. logica falsa; "Aftermuse" i.e. Musa falsa; "Afterraupe" (zoologica vox) i.e. larva cuiusdam vespae,

quae similis est erucae, sed non eruca vera; "Afterrede" - i.e. diffamatio; "Afterweisheit", i.e. insaniens sapientia.

Sed nunc satis de rebus posticis et inanibus. Spero te responsione mea contentum fore.
Care Maxime, vale quam optime et perge mihi favere.
Medullitus Nicolaus.

Maximus Nicolao s.

Largam iure tibi, Leo Latine,
Paucis hendecasyllabis salutem
Libens Maximus hanc Apollinaris
Reddit pro comitate, Nicolae,
Qua tute es merito, sed et fuisti
Erga tam stolidum, gravem, molestum
Lectorem, fateor, tui, tuaeque
Germanae pariter trium catervae
Istorum rabidissimae sophorum,
Rohdei, Wilamowitzii, Nietzschei... ;-)

Explanationem verbusculi illius -- quod Franciscus Overbeckius, ni fallor, Rohdeo subiecerat -- liquidissimam, Nicolae humanissime, mihi demum praebuisti. Tamen, si quid superioribus litterulis addere liceret, immo si auderem, libellum illum titulo dicerem ambiguum, cum is, ut puto, dupli sensu et vi haut infaceta ludicre fruatur (quae tum ab "after-", quod ipse scripti, tum ab "After" pro 'podice' sumpta videtur; qua de ancipi significatione, et quasi 'Aristophanea' quidem, ut ita dixerim, Nietzschei Rohdeo epistula die II Augusti a. D. 1872 missa legi etiam potest).

Innumeris tibi gratibus rite actis, ut valeas quam mirifice oro.

M. tuus

Andreas Fritsch Professor emeritus Berolinensis

Andreas Fritsch Nicolao Groß sal. plur.

Incredibile visu, quod nos tali ac tanto munere Latino donavisti! Hodie ultimus est dies huius anni, quapropter non potui textus a te missos illico diligenter perlegere. Sed spero mox fieri, ut haec scripta diligentius legere atque comparare possim. Iterum atque iterum tibi gratias ago. Admiror non tantum industriam, sed etiam scientiam tuam. Sed nunc restat, ut tibi tuisque annum novum faustum et felicem exoptem. Bene vale!

Andreas Fritsch Nicolao Groß sal. plur.

Pro cornu copiae, quod nobis epistula Leonina XXX gratis donavisti, tibi statim maximas gratias agam, quamquam non omnes res tam diligenter, quam par est, illico perspicere potui. Industria, diligentia, scientia tua mihi non solum usui et gaudio sunt, sed etiam admirationem mihi iniciunt. Iterum gratias tibi ago. Bene vale mihique favere pergas.

Andreas Fritsch Nicolao Gross sal. plur.

Gratias tibi ago, Nicolae, quam maximas possum pro votis tuis atque oratione praesidis rei publicae a te in Latinum conversa. Quod est donum per pulchrum mihique

gratissimum. Ego quoque tibi et omnibus, quos tu diligis, laetos dies natalicios et annum novum faustum ac felicem exopto. Bene valeas!

Andreas Fritsch Nicolao Groß sal. plur.

Summas tibi gratias ago, Nicolae, pro epistula recentissime missa, qua certe non solum mihi, sed multis amicis linguae Latinae magnum gaudium paravisti. Admiror tuam scientiam tuamque industriam et, quamquam non semper possum illico legere totam epistulam et omnia scripta gratis addita, tamen epistulas tuas colligere soleo eisque occasione data libenter uti et frui possum. Nunc autem ego quoque tibi festum Paschae laetum atque tranquillum, tempestatem serenam et animum serenum exopto. Optime vale mihique favere pergas, quaeso.

Andreas Nicolao s.d.p. Magnas tibi gratias ago pro epistula tua novissima, cui duos textus Latinos a te conscriptos subiunxisti, quos item grato animo accepi. Quid agis? Ut vales? Spero te bene valere.

Giorgi Russiashvili Professor Oeconomiae Colchus (i.e. Georgianus seu Kartvelianus)

LEO LATINUS GEORGIO RUSIASHVILI GENTIS COLCHORUM DECORI LATINISSIMO SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.

Georgi carissime, accepimus pecuniam a Te in computum nostrum translatam. Summas gratias Tibi agimus. Huic epistolio electronico subiunximus alteram EPISTULAM LEONINAM (XXII). Utinam Tibi placeat! Discos, quos desideras, Tibi mittemus. Exspecta paulisper. Semper vale et perge nobis favere! Medullitus Te salutat LEO LATINUS.

Georgius Leoni Latino s. Leo Latine optime, summas gratias vobis pro discis audibilibus et epistulis ago et foedus nostrum perpetuum spero futurum. ex animo G. Russiashvili.

Leo Latine optime, iterum summas gratias vobis pro libris audibilibus ago, quos hodie accepi et quibus maxime delector. ex animo G. Russiashvili.

Leo Latine optime, summas gratias vobis pro epistulis et admonitione ago, sed si libros audibles ad finem huius mensis mittatis ad amicum quemdam meum mittere velim, qui me absente libros servaverit. amicus quidam meus habitat: ex animo, G. Russiashvili.

Leo Latine optime, iterum summas gratias vobis pro vestrum in me beneficio ago, inscriptio mea electronica atque praeterita constiterit, cum mense octobris in Germaniam reverterim foedus nostrum renovare posse spero. Semper valete ut studiosis litterarum latinarum praeterea favere possitis. ex animo G. Russiashvili.

**Epistulas supra oblatas
collegit**
Nicolaus Groß
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

PARABOLA OVIS REPERTAE



ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ 15,3,7	EUANGELIUM SECUNDUM LUCAM 15,3-7
<p>Εἶπεν δὲ πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν ταύτην λέγων, „τίς ἀνθρώπος ἔξ ύμων ἔχων ἑκατὸν πρόβατα καὶ ἀπολέσας ἔξ αὐτῶν ἐν οὐ καταλείπει τὰ ἐνενήκοντα ἐννέα ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ πορεύεται ἐπὶ τὸ ἀπολωλὸς ἕως εὑρῃ αὐτό; καὶ εὑδὼν ἐπιτίθησιν ἐπὶ τοὺς ὄμοιους αὐτοῦ χαίρων καὶ ἐλθὼν εἰς τὸν οἰκον συγκαλεῖ τοὺς φίλους καὶ τοὺς γείτονας λέγων αὐτοῖς, 'συγχάρητέ μοι, ὅτι εὑρόν τὸ πρόβατόν μου τὸ ἀπολωλός.' Λέγω ὑμῖν ὅτι οὕτως χαρὰ ἐν τῷ οὐρανῷ ἔσται ἐπὶ ἐνὶ ἀμαρτωλῷ μετανοοῦντι ἢ ἐπὶ ἐνενήκοντα ἐννέα δικαίοις οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσιν μετανοίας."</p>	<p>Et ait ad illos parabolam dicens: „Quis ex vobis homo, qui habet centum oves et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto et vadit ad illam, quae perierat, donec inveniat illam, et cum invenerit eam, imponit in umeros suos gaudens et veniens domum convocat amicos et vicinos dicens illis: ,Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quae perierat? Dico vobis, quod ita gaudium erit in caelo super uno peccatore paenitentiam habente quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent paenitentiā.“</p>

VOTA PASCHALIA



CARA LECTRIX, CARE LECTOR,

LEO LATINUS

IN SOLLEMNIA PASCHALIA

TIBI OPTIMA QUAEQUE EXOPTAT.



<http://www.leolatinus.com/>